

31. 33.

DA DOMINE INCREMENTVM!  
DISSERTATIO JURIDICA

De  
**HOMINIBVS**  
**GLEBÆ ADSCRIPTIS**  
**LVSATIÆ SVPERIORIS,**

Quam  
*Magnifici ꝑctorum Ordinis Indultu,*

PRÆSIDE  
DN. D. JO. CHRISTOPHORO  
SCHACHERO,

*ꝑcto Celeberrimo,*  
Professore Codicis Publico, Supremæ Cu-  
riæ Provincialis & Facultatis Juridicæ Allessore, Aca-  
demiæ Decemviro, nec non Capituli Martisbur-  
gensis Canonico,

PATRONO AC PRÆCEPTORE  
OMNI OBSERVANTIA SANCTE COLENDO,

*Placide Eruditorum perquisitioni submittit*  
A. & R.

JO. GODOFREDVS Steudner,  
Budissa-Lufatus.

d. 10. Maji, Anno 1715.  
H. L. Q. C.

---

L I P S I Æ,  
Literis JO. HEINRICI RICHTERI.



DA DOMINI INCARNATIONE  
DISSERTATIO JURIDICA  
HOMINIBVS  
GLIBE ADSCRIBITIS  
LVSATIA SVPERIORIS

Magistri Johannis Othonis  
PRESIDE  
D. D. IO. CHRISTOPHORO  
SCHACHRO

Professore Codicis Publico supremae Curiae  
LVSATIAE SVPERIORIS  
LITONIAE SVPERIORIS  
D. D. IO. CHRISTOPHORO

Jo. Godofredus Gmelin  
H. G. C.  
H. G. C.





## PROOEMIUM.



Bitum ex hac Alma Philurea meditanon in iuste me facturum esse putabam, si per Dissertationem quandam, Juri Patrio imprimis accommodatam, studiorum meorum qualiumcunque rationes redderem, simulque illis, quorum Patrocinioposthac regicupio, tenues meas vires aliquo modo probarem. Deliberato itaque consilio hanc præ ceteris materiam de *Hominibus glebæ adscriptis Lusatia Superioris* elegi, & quantum per materiæ prolixitatem ac temporis angustiam licuit, pro ingenii mediocritate in ipsam inquisivi. Placuit autem quatuor Capitibus hocce absolvere institutum, ubi I. de Origine & Natura Hominum glebæ adscriptorum Lusat. Sup. II. de Effectibus hujus Subjectionis, III. de Solutione, & IV. de Actionibus in dere resultantibus agendum erit. Faxit DEUS, ut feliciter omnia cedant!

## CAP. I.

De Origine & Natura hominum glebæ  
adscriptorum superioris Lusatiae.

Origo hominum  
glebæ  
adscriptorum  
Lusatiae  
super.



Non una sane, si historiarum monumenta evolvamur, se nobis præbet circumstantia, ubi videre possumus, Lusatiam superiorem insignibus singularium jurium prærogativis, caput præ ceteris erigere; permulta enim, eaque valde favorabilia privilegia tam nobilitati, quam urbibus hujus Marchionatus competunt. Nobilibus inprimis bene semper fuit prospectum, quippe quibus magna, ut alia jamjam specialia privilegia, quibus eorum feuda munita & exornata sunt, sicco, ut ajunt, pede transeam, in subditos suos potestas est relicta. Debellata enim per Geronem ab Henrico Aucope constitutum Marchionem, & ad obsequium redacta hac durioris cervicis gente Slavica, seu, ut nunc dicitur, Lusatica, ejus agri & fundi militibus, qui ex nobilitate Saxonica potissimum constabant, addicebantur, Goldast. *l. 1. de Regn. Bob. c. 16.* eaque ipsa hoc modo non levi, ut facile est colligendum, premebatur servitute, qua vero postea mitior indies est reddita.

## II.

Hæc diemur  
eorum sta-  
tus.

Ita sc. hodie rustici Lusatici sunt comparati, ut illos neque servis Romanis annumerare possimus, neque hominibus propriis, uti dantur adhuc in Polonia, Palatinatu, Belgio, Burgundia, Avenna, Campania, aliisque partibus Galliae, qui vocantur homines manus mortuae, Gudelin. *de jure noviss. lib. 1. c. 5. in f.* in terris Saxonice Lassii dicuntur, Land. *R. l. 3. art. 44.* Ziegl. *de dote Eccles. cap. 9. §. 32.* Treutl. *V. 1. d. 2. tb. 4. lit. B.*

Non

GLEBÆ ADSCRIPTORUM SUPER. LUSATIÆ. 3

Non equidem inficiandum est, quod simulacrum aliquod servitutis Romanæ, quatenus sc. hæc libertati naturali opponitur, adhuc repræsentent, & analogice etiam homines proprii dici possint; cum vero Ordinatio Subditorum Lusat. Superioris de Anno 1652. *Art. I.* verbis: **usn Lande nicht nach Art und Weise, wie die Knechte in denen Römischen Rechten dienstbar und leibetgen** &c. expresse velit, ut non pro servis & hominibus propriis habeantur, ex hoc & sequentibus luculenter patet, accuratius procedi, si illos secundum præsentem ipsorum statum homines glebæ adscriptos nominemus. Ad stipulatur huic opinioni eximius JCrus, Joh. Otto Tabor, *de contr. & jure colon. provinc. tb. II.* etiamnum, inquit, glebæ adscripti reperiuntur, imprimis illi, qui Vandalicæ (*seu potius Venedicæ*) sunt originis, ut in Lusatia *der Lehn-Bauer, Hof-Bauer, Hüffner, Fröhner.*

III.

Definimus autem homines glebæ adscriptos Lusatiæ Superioris ex mente *Art. I. d. Ordin.* quod sint certum subditorum genus ex Slavicæ gentis reliquiis, qui ea conditione fundos suos possident, ut dominis suis servitia præstent, sibi ipsis necessaria alimenta inde acquirant, nec invitis dominis fundos derelinquant. Dixi, quod sint certum subditorum genus ex Slavicæ gentis reliquiis, sc. **von den so genannten Wenden**, qui pagos incolunt, & probe a ceteris Lusatiæ incolis tam lingua quam vestitu, moribusque sunt discernendi; horum meminit Goldastus *de regn. Bob. lib. 4. c. 13. n. 5.* quod olim literis suis testimonialibus ad se invicem distinguendos inferere consueverint verba: **Teutsch und nicht Wendisch geböhren.** Cetera definitionis membra, cum effectus potissimum respiciant, infra clariora reddentur.

IV.

Lubet interea vocabulum: *gleba adscripti*, illiusque hoc loco genuinum sensum sub incudem vocare. *Glebam* significare *Explicitio hoc gleba adscripti.*

care natura sua partem quandam terræ, Germ. *eine Erbscholle*, *Erdfloß*, seu cespitem, quod sit quasi globus, *l. 13. §. 1. de S.P.R.* omnibus constat. Hic vero sumitur pro certo quodam districtu, seu certa fundi parte, ubi sc. quis fixam ponit sedem, quod videri potest ex adjecto vocabulo: *adscriptei*, idem significante ac assignati, addicti, imo quasi alligati & affixi, quod nimirum ejusmodi homines adeo stricte cum fundo, quem possident, sint conjuncti, ut spontaneo motu ab illo recedere non valeant, sed potius juxta d. *Ordin. Art. 1. in f.* pro parte fundi propter annexa servitia habeantur. Nec obstat huic derivationi opinio Cujacii, quam ad *l. 1. C. de Agric. & Censit.* de Romanorum adscriptitiis fovet, hos non quasi fundo, sed censui, id est, libris censualibus, adscriptos dictos esse, per *l. 4. & 22. d. 1.* quia nostra opinio hac in parte rem presentem plenius explicat. Et ex *l. 72. de Decurion. in Cod. Theodos.* constat, glebam quoslibet privatos fundos significare, & glebæ adscriptitios dictos a JCrīis illos, qui cum agro una serviebant domino, & cum fundis mancipabantur, alienabanturque, Gudelin. *de jure noviss. l. 1. c. 5.*

## V.

*Subditi  
sunt 1.) per  
nativitatem  
14m.*

Hicse nunc breviter præmissis videbimus, quemadmodum hi homines glebæ adscripti constituantur. Si Ordinem nostræ *Ordin. Subd. Art. II.* sequamur, 1.) per nativitatem sunt subjecti domino illi, sub cujus jurisdictione nascuntur; quod hic quidem non singulare aliquid est, quoniam & jure civili, *l. f. C. de municip. & origin.* & consuetudine universalis, *Mev. vom Zustand der Bauern, qu. 2. n. 19.* hoc jamjam receptum. Conveniunt hac in parte cum colonis Romanis, qui etiam ejusmodi habebant originem, & inde originarii vocabantur, *l. 4. 7. & 11. C. de Agric. & Censit.* item cum adscriptitiis, d. *Ord. Subd. Art. I.* inde argumentum ab adscriptitiis ad hosce rusticos, *Mev. P. 3. dec. 8. n. 1.* Et quemadmodum jure Codicis, *l. 13. C. de Agric.* potius pater respiciebatur, si adscriptitius adscriptitiam duceret, & ita parentes diversorum dominorum adscriptitii



ptitii essent, Ziegl. *de dot. Eccl. c. 9. th. 30.* ita etiam hoc in superiori Lusatia receptum, Conanus *lib. 2. Comment. Jur. civ. cap. 1.* quamquam Novellæ malint hoc casu partitionem fieri prolium inter dominos, si earum æqualis sit numerus, & si una sit proles, ut matrem dominumque ejus sequatur, & generaliter, si impar fuerit numerus, qui supererat, matrem sequatur, *Nov. 156. 157. & 162. c. ult.* apud nos tamen hoc non obtinet, sed omnes liberi illi subjecti fiunt domino, cui pater est subjectus. Hinc etiam, si glebæ quidam addictus alienam duxisset viduam sub aliena jurisdictione, liberi prioris matrimonii ex illa nati illam non sequuntur, sed sub potestate ejus, cui pater servit, manent, *Mev. P. 2. dec. 232.* matris enim factum conditionem patris mutare nequit.

## VI.

Excipiuntur autem ab hac subjectione ex nativitate orta *Exceptiones.*  
 (1.) liberi œconomia præfactorum, pastorum, opilionum, militum, aliorumque hujus generis, qui illorum dominorum subditi manent, quibus parentes sunt subjecti; hi enim pro temporariis tantum subditis sunt habendi. (2.) Illi, qui nati sunt in alia jurisdictione, quam ubi pater fundum possidet; hic enim non locus nativitatis causam inducendæ subjectionis præbere potest, sed omnes ejusmodi liberi ad pristinum patris dominum pertinent, ideoque ipsi sunt extradendi: sicuti etiam nec illi subjecti fiunt, qui nascuntur, antequam pater alienum subditus factus, *arg. l. 2. C. de libert. & eor. liber. Chassenæus ad Consuet. Burg. tit. de mains mortes, rubr. 9. §. 3. num. 2.*  
 (3.) Illegitimi seu spurii; nam & hoc casu in Lusatia idem obtinet, quod jure Romano sancitum, ubi liberi legitimi sequuntur patrem, *l. 19. ff. de stat. hom. secus ac illegitimi, l. 24. ff. eod. & hinc ibi fiunt subditi, ubi mater tempore editionis partus subjecta fuit; si vero dubium oriatur, ad quem dominum proprie pertineat mater, partus ad eum spectat, in cujus territorio est editus.* (4.) Excipiuntur liberi conductorum, *(Der Haug)*

8 CAP. I. DE ORIGINE ET NATURA HOMINUM

**Hausgenossen** nam sola conductione adscriptitii non efficiuntur, Perez. *ad tit. C. de Agric. & Censit. n. 4.* nec domicilium ibi haberi censentur; vere autem & proprie subditus dicitur, qui in aliquo loco domicilium constituit, *l. 239. ff. de V. S. Zanger. de Except. c. 1. P. 2. n. 70.* Joh. Richard. Malcomes. *in Comment. ad Wesf. tit. ad municip. ib. 5.* Et qui ad certum tempus operam suam agro vel prædio addixit, post illud liber est, *l. pen. ff. de serv. export. Mev. P. 4. dec. 17. n. 2.*

VII.

2.) Per pactum Glebæ adscribuntur 2.) per pactum, d. Ord. Subd. *Art. II. n. 2. vid. l. 22. C. de agric. & cens. l. fin. C. de transact. Mev. P. 5. d. 227. n. 4.* Sicuti enim in prædio meo possum alteri servitutem pacisci, ita meam propriam conditionem aggravare possum, Hufanus *de hom. propr. c. 3. n. 5.* hoc modo etiam ex subdito temporario fieri potest hereditarius, pacta enim dant legem contractui, *l. 1. §. 6. ff. de positi.* & ita aliquis cum tota familia alterius jurisdictioni se subdere potest. De jure civ. alias se subjiçiebat, quoniam liberi hominis obligatio ad operas perpetuas valida haud est, *l. 71. §. 2. ff. de cond. & demonstr. l. 1. ff. de liber. hom. exhib.* Hering. *de fidejuss. c. 5. n. 290.* hodie tamen ad perpetuas operas aliquem se obligare posse statuunt, ob *l. 10. C. de locat. conduct. Wesenb. ad tit. C. de obligat. n. 32.* Wege *de locat. c. 4. n. 64.* cum obligatus per substitutum operas præstare possit, & illa præstatio nullum libertatis ademptionem præsupponat. Quo vero pacta eo firmius servantur, & dominus habeat, unde eorum subjectionem probare possit, admodum utile est, ut, si de conditione adscriptitia constituenda conventum est, instrumenta obligatoria, Germ. **Ergeb. Brieffe**, hac de re conficiantur, vid. *Leisler. Jus Georg. l. 2. c. 7.*

VIII.

3.) Per alienationem. 3.) Subjectionis species fit per alienationem, si nimirum fundus, cui sunt adscripti, a priori domino in alium transferatur;

tur; nec differt, num titulo venditionis, donationis &c. an per modum ultimæ voluntatis fundus in alium transmittatur, nam & operæ a domino alteri cedi & legari possunt, *l. 3. ff. de usu & usufr. l. 9. §. 1. ff. de oper. libert.* Stamm. *de servit. feudal. l. 1. P. 2. n. 102.* multo minus interest, an alienationi expresse adjectum sit: *cum pertinentiis*, nec ne, quia, quod supra dictum, hi subditi pro parte fundi habentur, ergo omnino sequi debent fundi dominum, *l. 15. §. pen. pr. C. de Agric. & Cens. Ziegl. de dot. Eccles. c. 9. §. 19. Mev. P. 2. dec. 277. & P. 1. d. 69.* nisi fuerint expresse excepti, *Mev. 4. dec. 24. n. 2.* & modo revera adscriptitiæ conditionis sint, alias enim factum venditoris ei obesse non posset, *arg. l. 3. ff. de transact. Mev. P. 4. d. 17.* Sequi autem debent non solum illi, qui tempore alienationis præsentés sunt, sed etiam absentes, & qui in aliorum territoriis commorantur, d. Ord. Subd. *Art. II. n. 3.* Occurrit vero hic quæstio: an dominus hosce glebæ adscriptos sine fundo alienare possit? Apud Romanos equidem colonos a fundo separare, absolute erat prohibitum, *per l. 2. §. 7. C. de Agric.* Nos tamen distinguimus: num fiat cum eorum consensu, qui debent alienari, an non: priori quidem casu valet alienatio, posteriori vero secus, sed subdito hoc modo alienando exceptiones suas opponere licet, uti in casu permutationis in **Sachen H. J. von Mutschwitz auf Hermsdorff und H. von Heldreich** d. 8. Nov. 1697. in Dicterio supremo Budiss. fuit pronunciatum:

Daß Beklagens Pflegbefohlene ihres Vaters factum ihres Orts zu præstiren, und er also den libellirten Unterthanen Klägern abfolgen zu lassen schuldig. Würde aber der Unterthan sich dessen weigern, und seine Exceptiones darwider vor dem Churfürstlichen Sächsischen Ober-Amte, wofelbst die Sache nunmehr Rechts hängig, vorbringen, so wäre er billig zu hören, und ergienge sodann ferner in der Sache was recht ist.

Si vero inter emtorem & venditorem propter evictionem subditorum lis oriatur, venditor, re evicta non tenetur ad omne

B

inter-

10 CAP. I. DE ORIGINE ET NATURA HOMINUM

interesse, ut jure civili cautum *l. 70. ff. de Evid. l. 15. ff. rem ratam habet.* sed in Ordin. nostra *Art. II. verb. weilm auch ic.* certum pretium est determinatum, quod venditor emtori restituere tenetur.

IX.

4.) Per rem  
judicatam.

4.) Per rem judicatam seu sententiam jurisdictioni alicujus subjiuntur: si sc. lis de aliquo sit mota, ad quem pertineat dominum, tunc si iudex illum in dubio alicui adjudicavit, illius constituitur subditus, quia ejusmodi sententia jus facit inter partes, *cap. 13. X. de sent. & re jud.* & pro veritate habetur, *l. 1. ff. de re jud. & l. 2. C. de Except.* Attendat autem iudex, secundum Ordinat. nostram, probe, num subditus mala fide fundum dereliquerit, & dominus, in cujus jurisdictionem se coniecit, hoc sciverit; an vero dominus in justa versetur ignorantia, vel dubius sit, ad quem proprie pertineat ejusmodi homo: tali enim casu Ordinatio alleg. constituit, ut extradatur quidem vero domino cum omnibus suis bonis, quia factum subditi legitimo domino nocivum esse non debet, Laurent. Tennin. Rudolph. *caut. 71. n. 2.* exceptis tamen illis, quæ ibi acquisivit, utpote quæ dominus retinet propter commissum dolum; priori autem modo subditus vero restituitur domino cum omnibus bonis, tam illatis, quam ibi acquisitis, detractis tamen prius vectigalibus & tributis, solutoque, quod ibi contractum fuerat, are alieno. Ceterum *Mev. vom Zustand der Bayern qu. 2. n. 100.* circa hanc materiam observavit, quod si e. g. pater aut frater per sententiam subditus declaratus sit, etiam liberi, fratres aut sorores, qui apud illos reperirentur, pro subditis tam diu sint habendi, donec per viam juris se inde liberaverint.

X.

5.) Per pro-  
prium con-  
fessionem.

Constituitur 5.) hæc subjectio per propriam confessionem, quæ quidem jure Rom. nulli adscriptitiam inferebat conditionem, nisi ex aliis argumentis aliquod accesserit incrementum, per *l. 22. C. de Agric.* quia servitia de loco ad locum tra-

trahenda non sunt, l. 20. §. 1. & l. 21. ff. de oper. libert. arg. l. 13. §. 1. ff. de ann. leg. Carpz. lib. 1. Resp. 57. Dn. de Lyncker cent. 3. dec. 298. Althuf. in dic. col. lib. 1. cap. 28. n. 15. apud nostros verò subditos omnino etiam firmam obligationem inducit, si facta est motu spontaneo, nec in tertii tendat præjudicium, qui forsitan potius jus in subdito hoc habet. Non prius ergo quis per confessionem voluntariam in alienam jurisdictionem recipi potest, quam si nemo amplius adsit, qui quaestionem status de ipso moveat; ejusmodi sc. requiritur homo liber & sui juris, qui, posthabito suæ plenariæ libertatis statu, confitetur, se velle alicui domino ad modum ceterorum glebæ adscriptorum esse subiectus, tunc enim, quia negat fundamentum sui privilegii, privilegium sui pristini status amittit, l. 11. §. 3. ff. de interrog.

## XI.

Consideravimus hucusque varios modos, quibus secundum Statuta Lusatica quis in numerum glebæ adscriptorum venire potest, qui omnes, re penitus expensa, in plurimis aliis locis hinc inde obtinent. In præscriptione autem, quæ tanquam 6.) causa subjectionis esse debet, vid. l. 20. C. de Agric. & Censu. Mev. P. 5. dec. 227. n. 5. Lusatia aliquid singulare habet, ibi enim secundum sæpius alleg. Ordin. Art. II. §. **Non nunc aber sollen ic.** omnis præscriptio ab Anno 1631. Term. Mich. unanimi Procerum Lusatiæ superioris consensu est sublata, ita quidem, ut quilibet dominus subditum suum ex aliena jurisdictione, si etiam ultra 30. Annos alibi commoratus fuerit, revocare valeat, si quis vel dominorum vel subditorum huic introducta legi fraudulenter contraveniat. Quoad præteritum tamen tempus usque ad Term. Mich. dicti anni, nullam dominis, prudenter admodum, concesserunt subditorum revocationem, ob confusionem dominiorum, per diuturna hucusque gesta bella factam, ubi sc. quis pro ratione turbulentæ rerum status & sævitæ bellicæ, tunc temporis modo in hunc, modo in alium locum se conferre coactus erat. Nisi enim rebus sic stantibus

Non, ut alibi  
6.) per præ-  
scriptionem.

cautum fuisset, ut subditi maneat in eo fundo, in quem belli tempestate pervenerant, maxime intricata lites propter difficillimas probationes metuendæ fuissent.

## XII.

*Quæ. quanto tempore alias per præscriptionem quis subditus fiat?*

Controvertitur alias inter Dd. quanto tempore homo, qui servitia alicui sine causa præstitit, possit præscribi & subditus fieri: includunt aliqui hoc tempus 30. annorum spatio, juxta *l. 18. § 23. C. de Agric.* Althuf. *in dictionolog. l. 1. c. 42. n. 15. c. 3. X. de immunit. Eccles. l. 3. C. de Agric.* quidam vero hoc tempus ad 10. annos, *vi l. 20. C. de Agric.* restringunt, concludendo, ex 10. annis continuis præsumtionem oriri pro domino, quod homo, qui per tam longum tempus in fundo habitavit, operasque rusticas præstitit, sit subditus, *Mev. d. tr. qu. 2. n. 114. vid. l. pen. C. de Agric.* Perez. *ad C. d. t. n. 10. §. sc.* ut dominus interea in possessione defendendus sit, *Brunn. ad d. l. 20. n. 1.* Sed quicquid sit, audiendum tamen ejusmodi rusticum esse existimamus cum eodem *Mev. qu. 2. n. 126.* si offerat probationem, quod ex alia quam servitutis causa, forte ex urbanitate, liberalitate, ad preces, pro certa mercede, ex errore, vel simili, operas præstitit, cum ex actibus, qui a mera voluntate pendent, non acquiratur aliqua possessio, *l. ff. 41. de A. vel A.P.* Verum cum hoc nostro seculo rustici adeo sint versuti, callidi & versipelles, ut non agros, sed studia juris coluisse videantur, *Stamm. de jur. personal. l. 3. c. 13. §. 14.* vix vero simile est, ipsos operas & servitia ex supradictis causis cuiquam ad diem, nedum ad annum vel diutius, esse exhibituros.

## CAP. II.

## De Effectibus hujus Subjectionis.

## I.

*Effectus (1) respectu glebe adscriptorum*

Cum jura ordinarie sequantur statum rei, hominesque glebæ adscripti Lusat. super. hucusque quoad originem & naturam

ram suam sint considerati, nunc in effectus hujus subjectionis inquirere allubescit. Hi se exferunt vel a parte domini, vel a parte subjecti. Conferentibus igitur utrumque primario statim occurrit respectu glebæ adscriptorum, quod a fundo domini, hoc inscio, recedere non possint, Manzius *dec. Palat. 18. n. 23.* Carpz. *P. 3. dec. 290. n. 10. sq.* Hoc enim natura eorum requirit, quia pro parte fundi habentur, & sine illis prædia domini minorum quasi mortua essent; siquidem illi, qui servitutem ratione subjectionis, aut alia de causa, alteri præstare tenentur, non possunt in præjudicium domini locum mutare, & alio, invito domino, domicilium aut colonias suas transferre, *l. 15. C. de Agric. Gail. de Arrest. c. 8. n. 13.* Thoming. *dec. 57. n. 4.* limit. vid. *infer. cap. III. §. 6. sq.*

## II.

Deinde tenentur ad præstationes operarum, quæ Germ. <sup>2) tenentur</sup> vocantur **Frohnen, Frohn-Dienste**, a vocabulo *sacro* dictæ, <sup>ad præstationem operarum.</sup> quasi sacræ libertatis, quæ per manumissionem contigit, remuneratio: veteribus enim Alemannis **Frohn** idem erat quod sacrum, *Klock. de contrib. c. 2. n. 32.* dicuntur etiam angariæ & perangariæ, ἀγγαρία enim proprie est servitus coacta, *l. pen. vers. universos autem. C. de aquæ ductu. l. 11. C. de SS. Eccles. Auth. Item nulla C. de Episc. & Cler. Ziegl. de dote Eccles. c. 13. tb. 31.* Gudelin. *de jure noviss. l. 5. c. 3.* Sunt autem secundum *l. 1. ff. de operis libert.* officium diurnum dominis in personarum vel prædiorum utilitatem a subditis præstandum. Dicuntur operæ officium diurnum, uti est regulariter, unde etiam concludit *Sichard. ad rubr. C. de oper. libert.* nunquam nobiles licite rusticis operas nocturnas imponere posse, nisi tempore necessitatis, aut si ita consuetudine præscriptum sit, *Treutl. P. 1. d. 2. tb. 4. lit. B.* quemadmodum vero hæc officia pro diversitate locorum variant, ita etiam quædam vocari possunt nocturna, *Jctus* enim tantum ad frequentiam respexit in *l. alleg.* in multis sc. locis rustici noctu simul excubias agere &

dominorum suorum opes & domicilia custodire tenentur, vid. *P. 2. Const. Elect. 51. & Altenburgis. Landes-Ordn. P. 2. c. 2. tit. 15. in f.* Quod si tamen ejusmodi onus jam prædio inhæreat, aut per pactum vel consuetudinem, quæ vim conventionis habet, *l. 18. C. locati.* sit introductum, aut necessitas hoc exigat, *Stamm. de serv. pers. l. 3. c. 21. Otto in jur. publ. cap. IV. §. 14. qu. 4. Treutl. F. 1. d. 2. th. 4. lit. B. Berlich, P. 2. concl. 64.* nequitiam juris esse præsumuntur, *Klock. de contr. c. 2. n. 63.* uti nec gravandi sunt subditi excubiis, si forsitan rei malefici & delinquentes in carcere detineantur, sed custodia hujus cûra, perinde ut ipsa executio & irrogatio pœnarum, magistratui incumbit, *Beier. de expens. exec. crim. c. 5. §. 4. n. 122. it. c. 9. §. 13. n. 353. Dopler. in theatr. pœn. c. 10. §. 47.*

## III.

*Ulterior operarum explicatio.*

Circa præstationem operarum hic etiam notandum, quod apud nostros glebæ adscriptos eorum liberi adulti præter servitia, *die Frohn-Dienste*, quæ parentes præstant, adhuc coacti sint, per aliquot annos in privatis dominorum œconomiis officia domestica, *Gesinde-Dienste*, pro certa quadam mercede, ut plurimum tamen eam non adæquante, quam impetrare possent, si extraneis servirent, exhibere; si vero prius, quam domini servitia eorum requisiverint, extraneis operas suas locaverint, non revocari, juxta §. 4. *der Kånserlichen Landes-Ordnung, de Anno 1596.* possunt ante elapsum tempus contractus locationis, sed ad minimum uno mense ante finitum serviendi tempus, tam illis ipsis, quam dominis, quibus hætenus servitia præstiterè, denuncianda revocatio. Et talis consuetudo etiam in Saxonia vigeret, si scilicet liberi a parentibus se disjungere, & extraneo suas operas addicere velint, vel in laribus paternis quidem remaneant, extraneis tamen operas locare soteant, *Ord. Polit. de An. 1661. tit. 23. §. 1. seq. Carpz. P. 2. dec. 5.* Hinc cum paroeciani pari jure matri Ecclesiæ, qua subditi domino & magistratui, quodam-



dammodo sint obstricti; ideo operas suas quoque Ecclesiæ ministris ad culturam agrorum suorum elocare, nec, hisce nondum confitis, culturam aliorum suscipere valent, Philipp. *us. pract. l. 2. Eclog. 44. § l. 1. Ecl. 31. n. 7.* At quid, si glebæ addicti operas suas equis vel manu præstandas elocare soleant, annon hoc casu, ut dominis pro certa mercede eas præ aliis elocent, erunt obstricti? Negat Carpz. *lib. 1. resp. 58. Manzius in dec. Palat. qu. 17. n. 3. sq. arg. l. 11. C. de loc. cond. nisi dominus re adhuc integra concurrat, eandemque mercedem promittat, & ita subditi damnium exinde non sentiant, Wege de locat. c. 3. n. 132. Carpz. P. 2. dec. 205. n. 9. sq.* si autem domini jurisdictionales diversi adsint, & unus superiorem, alter inferiorem jurisdictionem habeat, quid tunc juris, exponitur *in der Fürstl. Altenburgis. Landes-Ordn. de An. 1651. § 9. sq.* Sed an domini operas horum rusticorum, quando ipsi iis non indigent, aliis locare possint, quæstionis est? Negat Berlich. *P. 1. dec. 67. affirmat Brunn. ad l. 23. §. 12. ff. de conduct. indeb.* Nos putamus, si operæ certam præstationem pecuniariam admittant, & rusticorum conditio non fiat deterior, nec graviores fiant operæ, locationem esse permissam, operæ autem officiales, v. g. excubias agere, alteri sine prædicio locari non possunt, Berlich. *P. 2. c. 64. n. 20. sq.*

## IV.

Dividuntur autem communiter ejusmodi operæ a Do-  
ctoribus in officiales & artificiales vel fabriles, *l. 6. § 9. §. 1. ff. de oper. libert. l. 26. §. 12. ff. de conduct. indeb. Conan. in Comment. l. 2. c. 8. n. 6. sq. Ant. Faber in Jurispr. Papin. tit. 5. pr. 2. illat. 13. Ekolt. ad ff. tit. de oper. libert. §. 3.* Illæ consistunt in honoris exhibitione, *l. 9. pr. §. 1. ff. de obseq.* Althus. *indicoel. l. 1. c. 14. n. 39. § c. 28. n. 15.* quem quilibet glebæ adscriptus domino suo, sicut libertus patrono, *l. 1. § 9. ff. de oper. libert.* præstare tenetur. Tam sancta autem persona patroni apud Romanos videbatur, ut illa a liberto in jus vocari

*Operarum  
divisio n.) in  
officiales &  
artificiales.*

vocari profus non potuerit, nisi prius veniam edicti petierit, l. 2. C. & l. 4. §. 1. ff. de in jus voc. quod quamvis hodie tam stricte non amplius observetur, non tamen subditis contra dominum actionem famosam intentare, aut criminaliter ipsum deferre licet, Stamm. l. 3. c. 18. Artificiales vero seu fabriles sunt, quæ ex artificio, quod serviens profitetur, fiunt, Lauterb. in Comp. d. 1. Harum quædam præstantur jumentis per equos & boves, Zug-Vieh, Pferde oder Ochsen, ubi nimirum subditi suis jumentis ad operas rurales præstandas sunt obligati, agros domini colendo, fruges in horrea, fimum in agros vehendo, item frumenta in urbes vicinas exportando, aliaque hujus generis, quales operarii Anspanner, Pferdner oder Hüffner vulgo solent appellari. Quædam præstantur manu, ab illis sc. quibus tantum prædii non est, quantum ad vecturas, equosve alendos sufficit, ut sunt hortulani, qui operas manuaras exhibent, v. gr. mit Hauß-Frohnen, Getraide-Säten, Schneiden, Dreschen, Potgießl. de condit. & stat. serv. l. 2. c. 3. §. 8. Klock. de contrib. cap. 2. n. 52. quos Hinderseßler, Solner, Rötner, Kotsassen, Cossäten, Gärtner appellant, Ziegler. de dote Eccles. §. 41.

## V.

\*) in determinatas & indeterminatas.

Operæ artificiales occasionem nobis præbent inquirendi in vulgata Doctorum distinctionem, in operas determinatas & indeterminatas, (quoad jus Sax. videri potest Carpz. P. 1. C. 4. d. 1. sq. P. 2. C. 52. d. 1. sq.) de quibus Dn. Thomafius in disp. sua de hominibus propr. & liber. Germ. §. 84. dicit, quod variaz de utrisque disceptationes occurrant, in utramque partem disceptabiles, ob incertitudinem juris, quo utimur; adjicit interea Vir Illustris, quod rustici servi, sub quibus hodiernos homines proprios intelligit, præstare debeant operas indeterminatas, liberti vero ex rusticis determinatas, sc. tantas, quantas ipsis dominus tempore manumissionis imposuit, & tum conventum est. Ad nostrum si hoc applicare volumus

sco-

scopum, videndum est, num servitorum in genere denominatione prædia subditorum sint insignita, an vero enumeratione certarum specierum sint notata: priori casu operæ censentur indeterminata, quæ vero, si consuetudines non adsint, ad arbitrium boni viri sunt reducendæ, *l. 30. ff. de oper. libert.* Althuf. *in dicaol. l. 1. c. 24. n. 43.* Carpz. *l. 1. resp. 54.* Wege *de locat. cap. 6. n. 22.* (& ejusmodi operæ justæ, quæ diei sunt æquales, columellæ dicuntur, Althuf. *c. l. c. 2. n. 4.*) & juxta prædiorum qualitates æstimandæ, ne sc. nimis aggraventur miseri subditi, Carpz. *l. 1. resp. 53. n. 15. sq.* Mev. *P. 4. dec. 132. 133.* Hinc si prædium per emtionem agrorum aliorumque bonorum adauctum & amplificatum fuerit, subditi ad servitia indeterminata obligati in colendis illis agris & bonis, prædio adjectis, operas suas præstare non tenentur, Carpz. *c. l. resp. 55.* nisi ex natura subjectæ materiæ virtualiter comprehendantur, Schäffer. *P. 3. qu. 4. n. 44. sq.* Posteriori casu pro determinatis habentur, Otto *de jur. publ. c. II. §. 14.* & ultra has aliæ operæ injungi non possunt nec debent, *arg. ut. C. in quib. caus. col. cens.* Mev. *P. 4. dec. 131. n. 1.* Struv. *in S. J. C. Ex. 2. tb. 24.* nec objectione & exceptione possessionis domini se tueri possunt, uti judicatum *zwischen der Gemeinde zu Eberspach, Kl. und der Herrschaft allda, Befl. d. 21. Jul. 1702. & 23. Aug. 1703.* in positione quidem dominus interea defendendus, *arg. l. 14. §. 2. ff. de alim. leg. tit. 2. Land. R. art. 24.* Treutl. *l. 2. ref. 15. n. 5. sq.* Oldekop. vero *decad. 5. qu. 1. n. 13. seq.* requirit, ut simul titulus & bona fides probetur. In Lusatia nostra plerique subditi operas exhibent determinatas, quo innumeræ lites præcaveantur: quilibet enim statò tempore suas suo domino præstat operas, quæ tamen prius per oeconomiam præfectos, *Schösser, Verwalter,* præcedente die indicuntur, operæ enim non debentur, nisi indictæ, *l. 7. ff. de usufr. leg.* Brunn. *cent. 5. dec. 80. n. 3.* Ekolt. *ad ff. de Oper. libert. §. 2.*

## VI.

*Varia circa  
operas ob-  
servaciones.*

Subditi autem regulariter, dum satione & collectione frugum occupantur, ad operas præstandas compelli non possunt, *l. 1. C. de Agric.* nec festis diebus, nisi publica utilitas annonæ hoc exigat, *l. 3. § pen. in fin. C. de feriis*, vid. *cap. 3. X. § l. 7. C. de feriis*. Wefenb. *ad l. 3. C. de fer. n. 34.* conf. Balduin. *l. 2. c. 13. cas. 5.* nec Dominus operas subditorum certas in similes convertere potest, *arg. l. 5. § ult. C. de Agric.* vid. Carpz. *l. 1. resp. 56.* nec ad alios casus extendere, *c. fin. X. de offic. Archidiacon. l. 23. §. 1. vers. caveant autem. C. de Agric.* quippe cum ii homines certas operas annuatim præstare soleant, in ceteris liberi dicuntur, *l. ult. ff. de liberal. caus. Menoch. lib. 1. conf. 31. n. 59.* & operæ potius restringendæ quam extendendæ, Carpz. *P. 2. C. 52. d. 2. n. 5.* Operæ autem non domino jurisdictionis, sed proprietatis, **dem Erbo oder Eigenthums. Herrn**, a quo sua bona seu prædia in vim beneficii recognoscunt, in dubio adjudicandæ sunt, Klock. *de contr. c. 2. n. 35.* cum jurisdictio, sive superior, sive inferior, nihil commune habeat cum servitiis & operis rusticorum, operæ enim vel ex conventionione, vel præscriptione, vel ex concessione Principis una cum servitiis istis investientis, vel ex dispositione legis debentur, Franzk. *l. 9. resp. 15. n. 25. sq.* Philipp. Porer. **Bedencken etlicher Fragen, wegen Schuld-Sachen qu. 11. n. 798. sq.** Sic jure communi subditi in pagis ad ligna aliamve materiam, ædificiis dominorum exstruendis necessariam, convehendam haud obligati sunt, *l. 1. C. de rust. ad ull. obsequ.* Hering *de Molend. qu. 10. n. 31.* in provinciis tamen Electoratus Sax. ad præstandas operas & servitiæ ædificiis dominorum exstruendis obstricti sunt, *Ord. Prov. de Anno 1555. tit. von Bau-Frohnen*, verb. **demnach sehen, wollen n. Conf. Elect. 52. P. 2. Berlich. P. 2. concl. 65. n. 2. sq.** Et parociani ad ædificia ecclesiastica non tantum equis sed & mani-

manibus operas præstare coguntur, *Ord. Eccles. Elect. Sax. Art. gen. 32.* Finckelth. *de jure Patron. c. 4. n. 86. & 91.* Verum notoria & fere universali Germaniæ consuetudine servitia & munera hæc in consequentiam jurisdictionis, quam quis habet in pago, ab ejus habitatoribus præstari postulantur, & eo jure, quod dominus per homagium in subditorum personam consecutus est, debentur, *arg. l. 3. & 4. ff. de oper. serv. l. 7. C. de oper. publ. & tot. tit. C. ne oper. a collat. Dav. Crafter. P. 4. conf. 21. n. 1. sq.*

## VII.

Operas autem vindicanti onus probandi incumbit, *l. 1. Ampliatio. C. de oper. libert. cum exactio operarum sic contra jus commune, ejusque prohibitionem, l. un. C. ne oper. a collat. l. 1. C. ne rustici ad ull. obsequ. Thom. Merckelbach. consult. de contrib. 5. p. 86.* licet dominus in possessione vel quasi operarum sit. Glebæ hiæc addictis autem operas nobilibus suis præstantibus non debentur alimenta, vid. *Capell. Tholof. qu. 423. n. 1. nisi consuetudo, Carpz. P. 2. C. 51. d. 5. vel pactum, aut paupertas eorum, l. 19. 21. & pen. ff. de oper. libert. hoc postulet, quare & instrumenta, sine quibus operæ præstari nequeunt, ipsi subditi suo sumtu comparant, l. 18. & 20. pr. ff. de oper. libert. Coler. de proc. execut. c. 9. n. 57. Althus. in d. caol. l. 1. c. 24. n. 42. Hering. de Molend. qu. 44. n. 31. sq. & fracta reficiunt; nec Dominus ratione amissorum satisfacere eis tenetur, *Schoner. lib. 1. disp. feudal. 4. th. 125. Nic. Michael. de deteriorat. c. 1. §. 4. n. 63. sq.* In Lusatia autem nostra in operarum præstatione, beyden Frohn-Diensten, plerumque ipsi alimenta suppeditantur.*

## VIII.

Quæritur hic, num glebæ adscripti per præscriptionem liberentur a servitiis præstandis? Et responderetur affirmando, si sc. legitimum tempus immunitatis probare possint; & hoc fieri posse spatio 30. vel 40. annorum, Dd. communiter con-

C 2

*Qu. num subditi per præscriptionem liberentur a servitiis præstandis?*

cludunt, vid. disp. Engelbrecht. *de operis rustl.* §. 112. Ita etiam judicatum est in supremo Tribunali Budiss. in causa **der Gemeine zu Biehle contra ihre Herrschafft** d. 6. Decembris, Anno 1697.

Das Impetranten ihres Vork und Einwendes ungeachtet, die völligen Hof-Dienste zu leisten verbunden; Sie könnten und wolten denn, daß sie an dem Tage, da sie das gemeine Zechhüten haben, von den Hof-Diensten befreyet, und disfalls in præscripta possessione constituiret seyn, binnen Sächsischer Frist erwessen.

Non aliter autem hæc præscriptio locum habet, quam si operæ sint indictæ, alter vero contradixerit, & indicens postea longo tempore acquieverit, Stryk, in *Annot. ad Lauterb. tit. de oper. serv.* Schæffer. *P. 3. qu. 45. n. 29.* non enim in rerum natura præsumuntur, antequam indicuntur, *l. 7. ff. de usufr. leg.* semper ergo adhuc exigi poterunt, etiamsi ad tempus fuerint intermissæ; nam qui non indiget, & propterea aliquid non acquirit, non amittit jus suum, Brunn. *ad l. 22. C. de Agric. n. 7.*

## IX.

Num dominus operas in pecuniam mutatas postmodum in natura exigere possit?

Num vero dominus, si pro operis certam pecuniæ summam annuatim sumserit, postea rursus operas in natura exigere possit, dubium est: distinguendum hic esse, putat Husan. *cap. 6. §. 76.* num per annuam pensionem operæ prorsus sint redemptæ, an tantum necessitate urgente ad tempus conversæ sint in pecuniam: priori casu dominus non potest recedere ad operarum exactionem; posteriori vero pro lubitu, id quod confirmatur sententia Dicast. supr. Budiss. in causa **Syndicen der Gemeine zu Behrsdorff, Kl. contra ihre Herrschafft, Befl.** d. 23. Aug. 1702. lata:

Das Klägere ihres Einwendens ungeachtet die völligen landüblichen Dienste, hiesigem Landes-Gebräuche nach, gegen Zurückhaltung der angekündigten Dienst-Gelder zu verrichten schuldig.

Alias domino non licet servitia in pecuniariam præstatio-

tio-

tionem commutare, nisi necessitate urgente, & boni viri æstimatione interveniente, Brunn. *cent. 4. dec. 76.* Kohl. *de servit. feudal. T. 1. P. 6. n. 39. Constit. El. 2. P. 3.* vel subditi per longissimum tempus loco operarum annuatim certam pecuniæ summam uniformiter solverint, *Confl. El. 4. P. 2.* Treutl. *V. 2. disp. 22. th. 2. lit. G.* Verum si glebæ addictus perpetuam venditionem factam, vel, cum dominus neglecta pecunia operas rursus postulare præsumserit, & facta ad hoc contradictione, glebæ addictus post contradictionem totos 30. annos absque ulla interruptione quiete pecuniam uniformiter se solvisse probare non posset, putarem contra præscriptionem esse judicandum, *arg. l. 2. C. de præscript. 30. vel 40. ann. Carpz. P. 2. C. 4. d. 4.* quia alias pro actu meræ facultatis habetur, in quo nulla currit præscriptio, Merckelbach. *consult. de contrib. 5. p. 58.* vid. Manzius *in decis. Palat. qu. 29.* quanquam Dn. de Lyncker *cent. 3. dec. 202.* excipiat præscriptionem per tempus immemorabile, cum vim tituli habeat, vel si dominus regressum ad operas sibi reservaverit, alias si alternative subditi ad operas vel pecuniæ præstationem obligati sunt, regulariter electio est eorum, quodnam præstare velint, *a. l. 10. §. f. ff. de jur. dot. Carpz. P. 2. C. El. 4. d. 5.*

X.

Hæ operæ autem in fundis dominorum sunt præstandæ, non vero debentur, si conductores prædiorum nobilium in extruendis suis propriis ædibus illas adhibere velint. Ita enim responsum in summo Tribunali Budiss. *d. 11. Jan. 1704. nach Pulsnig.* Nam servitia de loco ad locum trahenda non sunt, *l. 20. §. 1. §. l. 21. ff. de oper. libert. arg. l. 13. §. 1. ff. de ann. leg. Carpz. lib. 1. resp. 57.* Dn. de Lyncker. *cent. 3. dec. 298.* Althus. *in dicæol. lib. 1. cap. 28. n. 15.*

*Operæ non nisi in fundis dominorum debentur.*

XI.

Ad effectus & jura horum glebæ adscriptorum porro referri potest, quod possint juxta *Artic. I. cit. Ordin.* res suas

*3) possunt res suas cum*

consensu  
domini  
alienare.

necessitate urgente alienare, & contractus, ut alia libera personæ, celebrare; in magni autem momenti contractibus, si validi esse debeant, & effectus suos sortiri, confirmatione domini jurisdictionalis opus habent. Probat hoc satis luculenter sententia in summo Trib. Budiss. in caus. **Barthel Narrschicks zu Gohsig, und Matthes Narrschicks Wittb,** lata:

Daß vor allen Dingen ad Acta zu bringen, ob und von wem der obangezogene zwischen Barthel Narrschicken, und seinem Sohne aufgesetzte Kauff-Brief zur herrschaftlichen Confirmation vorgetragen worden, und ob solche auch erfolget. Worauf ic.

## XII.

4.) possunt  
nuptias con-  
trahere.

Ceterum subditis hinc nuptias contrahere, nullibi prohibitum est, Hopp. in *Comment. Inst. ad. S. 4. de jur. pers.* & quidem cum quacunque velit sponsa, invito domino, illamque ex aliena jurisdictione secum ducere possunt, nisi dominus prægnantes & in verbo Dei fundatas prohibendi causas habeat, aut subditus anno servitiis destinato nondum consummato matrimonium inire cupiat, vid. *Ordin. Subd. Art. IV. n. 8.* ubi simul expresse prohibitum, ne domini a subditis sexus sequioris, si per nuptias ex ipsorum fundis transeant, pecuniam gbellæ loco possant, quia hoc non solum jure Naturæ sit æquum & justum, sed etiam favor matrimonii sexum fœmineum ab ejusmodi oneribus absolvat. Sed deterioris conditionis sunt de jur. civ. adscriptitii etiam hoc in casu, nam sine consensu dominorum nuptias celebrare non poterant. *Nov. 157.* enim loquitur de colonis, ibique Stephani *n. 4. S. 5.* sicuti etiam subditi in Westphalia, teste Schönb. *lib. 1. cap. 9. p. 73.* absque consensu & permissione domini filias elocare non possunt. Ne vero honoris cultus, quem domino omni tempore debent, hac ratione aliquo modo lædatur, citata Ordin. nostra matrimonium inituris injungit, ut domino hoc indicent: **Die Herrschafft aber jedes Orts soll vor allen Din-**  
gen,



gen, wenn sich die Unterthanen verehlichen wollen, darüber Ehrenhalber, und aus unterthäniger Ehrerbietung, begrüßet werden.

## XIII.

Inde autem nequaquam est inferendum, quasi domini <sup>nec domini</sup> jurisdictionalis consensus necessario in matrimonio sit adhi- <sup>consensus</sup> bendus, uti parentum in legitimis liberorum sponsalibus in- <sup>hic deside-</sup> eundis. Unde jure nostro Lusat. consensus hic prorsus non <sup>ratur.</sup> pro parte matrimonii essentiali habetur, id quod satis confirmat sequens ex Rescripto Regio extractus, in causa **Jacob Röders zu Taschendorff** contra Dn. Decanum Budiss. de dato Dresd. d. 9. Jan. 1711.

Allermassen ihr aber in eurem Berichte selbst anzuführen wißet, solches auch die Unterthanen-Ordnung nach ihrem Inhalt weiset, daß die Herrschaften von denen Unterthanen, wenn sie heyrathen wollen, zwar Ehrenhalber, und aus unterthäniger Ehrerbietung begrüßet werden sollen, die Erlangung ihres Consensus aber nicht eben ein Essential-Stück zu Sponsalien sey, und also, wenn dieselben sonst beständig, und darwider nichts erhebliches anzuführen, der Mangel des herrschaftlichen Consensus dieselbe nicht zu annulliren vermag, ja da auch gleich die Contrahenten selber deswegen darvon wieder resiliren wolten, solches in ihrer Willkür nicht mehr stehet, noch denselben zuzulassen wäre; Als begehren wir gnädigst, ihr wollet dem Decano nochmalen Deutung thun, solche Eh: Vollziehung, wenn sonst das versprochene richtig gewesen, nicht länger aufzuhalten, sondern er, wenn ja was wegen seiner nicht gefuchten Einwilligung in die Verheyrathung von seinen Unterthanen versehen worden, dieselben darun vielmehr mit einer leidlichen Straffe ansehen möge &c. &c.

## XIV.

Insuper hocce Lusatiae subditos hodie omnino etiam in- <sup>sunt te-</sup> distincte in testamentis testes esse posse, nullum puta- <sup>tes habiles</sup> mus esse dubium, conf. Reufner. P. 3. de testam. cap. 15. n. f. <sup>in testa-</sup> Treutl. V. 2. disp. 10. th. 4. lit. 3. Et quamvis Berger. in Oecon. <sup>jur.</sup>

*jur. p. 345. ex Recept. Imp. de Anno 1512. tit. 2. §. 7. adducat, quod homines proprii non nisi in testamento hominis proprii testes esse possint; hoc tamen nostris non applicari posse existimamus, quoniam plenariam de rebus suis testandi potestatem, quæ l. 13. C. de testam. universaliter est permissa, per Artic. I. Ordin. alleg. habent; & in genere glebæ addicti jure testari possunt, Reufner. de testam. P. 2. c. 28. n. 25. sq. Præterea etiam satis constat, rusticos Lusatenses, quamvis ut usufructuarii considerentur, a satisfactione esse immunes, uti Facult. Witteb. respondit in causa **der Gemeinde zu Peutsch, und Conf. contra Georg von Wiedebach**, 1710. M. April. teste eod. Berger. l. c. p. 1024. Possent hic complures alii effectus subjungi, quia vero nihil singulare habent, & in ceteris fere omnibus cum juribus aliorum hominum conveniunt jura rusticorum Lusatiorum, hos in præsentiarum mittimus, & ne in nimiam prolixitatem exerceat disputatio nostra per eas res, quæ ubivis obviæ ac notissimæ sunt, ad effectus a parte domini perspiciendos mentem appellere volumus.*

*6.) immunes sunt a causatione.*

## XV.

*Effectus respectu domini: Domini tenentur subditos suos tueri, nec illos scilicet trahere.*

Primario igitur officium domini erga hosce subditos in eo consistit, ut illos propter servitia, quæ ipsi præstant, tueatur, nec eos per se miseros, nimia severitate, quæ inprimis in aggravatione operarum committi potest, prorsus supprimat, quæ extorsio insolitorum servitiorum jure improbat, l. 50. §. 1. ff. de oper. libert. ubi Neratius respondit, quemlibet operas edentem alendum, aut satis temporis ad quæstum alimentorum ei relinquendum; quod etiam in *Ordin. Subd. sæpius alleg.* dominis hinc & inde interdictum, ita, ut, si hac in parte excedant, & subditi justas querelas moveant, iidem meritam poenam pro savitiæ ratione effugere haud possint. Patet hoc inter alia ex verbis Resolutioni Sereniss. Elect. Joh. Georgii II. sub 7. Sept. 1673. insertis:

Es

Es wäre denn Sache, daß eine Obrigkeit den modum excederet, und etwas unchristliches, unbilliges und neuerliches wider ihre Unterthanen vornehmen wolte, auf welchem Fall dieselbe dem Amte-Gehorsam sowohl als die Unterthanen unterworfen, und Erkenntniß zu leiden schuldig verbleiben.

uti & operarum exactione gravati subditi provocare possunt ad superiorem, Franzk. *lib. 2. ref. 15. n. 11.*

## XVI.

Potest tamen dominus subditos suos carcere & plagis, si iusta adsit causa, ad modum Romanorum, in adscriptitiis usitatum, *Auth. ad hoc qui suam. C. de Lat. lib. toll. modice coercere, quod, quamvis non expresse sit sancitum, tacite tamen concessum videtur, cum enim excessus savitiæ sit prohibitus, mediocritatem permitti, exinde sponte fluit, Husan. d. tr. c. 7. §. 18.* Hinc sapius fit, ut vel a dominis ipsis, vel ejus œconomia præfectis, si subditi ad servitia præstanda nimis sero veniant, verberibus excipiantur, vel etiam, si nimis segniter, more rusticis solito, manus operis admoveant, fuste officii sui admoncantur.

Necessaria etiam quandoque ejusmodi coercitio est, & in conscientia licita, si modo severitas misceatur cum lenitate, hoc est, faciendum est quoddam ex utroque temperamentum, ut neque nimia asperitate exulcerentur subditi, neque nimia lenitate solvantur, *dist. 45. c. disciplina. 9.*

## XVII.

Quoniam etiam, uti supra dictum, subditi a fundo domini sui, eo invito & inscio, recedere non possunt, dominus etiam ipsos vi non potest ejicere ex jurisdictione sua, nisi iusta adsit causa, Manzius *in decis. Palat. qu. 19. n. 16.* de provinciis Sax. hoc testatur Ziegl. *concl. 1. n. 185. Et 195.* id quod humanitas, & quæ sancta semper lex esto, amor erga proximum omnino suadet. Nimis igitur dura videtur Nobilium provincia Megapolitana consuetudo, qui colonos pro lubitu expellere, fundumque ad se recipere, vel alio transferre possunt, Erhardt.

D

de oper.

*bene tamen translocare.* *de oper. rust. concl. V.* Translocatio vero subditorum domini Lusatiae permilla est, ita tamen, ut ipsorum accedat consensus, qui tunc a succedente alio domino vindicari non possunt, uti patet ex responso ad requisitionem C. G. von **Sersdorff auf Mittel- Herwigsdorff**, d. 12. Apr. 1706.

Wesln 2.) einer Herrschaft gar wohl zugelassen, ein und den andern Unterthan, von einem seiner Güter oder Vorwerk, mit dessen Einwilligung, auf sein ander Gut zu setzen, ohne daß er selbigen einen Iohs-Brieff zu geben hat, indem sie darnach, wie zuvor, seine Unterthanen verbleiben; Als ist des teyhigen Besizers des Gutes Weigersdorff Anspruch zu denen zu Grödis sich befindenden Unterthanen, Martin und George Junckerten, zu Recht nicht genungsam fundirt, sondern ihr euch damit, daß zu der Zeit, als ihm das Gut Weigersdorff verlaufft worden, diese Gebrüder keine Unterthanen mehr allda gewesen, in Vormundschaft beständig zu schützen.

## XVIII.

*Plures effectus recensentur.*

Ad effectus respectu domini adhuc referri posset, quod ipsi liceat pro literis dimissorialibus certum pretium, tanquam fructus jurisdictionis exigere, item, quod possit subditum suum fugientem persequi & vindicare, & quod econtrario non debeat aliorum dominorum subditos sine literis dimissorialibus recipere, aut receptos quocunque modo occultare, sed potius illos sine ulla difficultate ad requisitionem vero domino restituere; quoniam vero de his in capitibus subsequentiibus pluribus agendi erit occasio, hic subsistimus & progredimur ad

## CAP. III.

## De Solutionibus.

## I.

*Libervantur subditi s.)*

Considerandi hic veniunt diversi modi, quibus glebæ adscripti superioris Lusatiae ab oneribus hujus subjectionis liberantur.

rantur. Primum itaque acquirendi libertatem remedium sunt literæ dimissoriae, seu, ut barbare alias vocantur, Affrancamentum, *Frey-Loß-Brief*, *pr. Art. IV. Ordin. Subd. Luf. sup.* quæ a domino proprietatis ipsis conceduntur, & quidem pro certo quodam lytro, tanquam fructu jurisdictionis, quod juxta *Spec. Sax. lib. III. Art. 73.* a veteribus Vandalis, inprimis si per matrimonium a subjectione solvi cupiebant, *Versühnungs-Pfennige* dicebatur. Debet autem hoc liberationis pretium justum, & tam facultatibus glebæ adscriptorum, quam etiam consuetudini locorum conveniens esse, nec in Lusatia 10. thaleros excedere, *artic. IV. n. 1. inf. d. Ordin.* Quodsi vero de pretio literarum dimissoriarum inter dominum & subditum conveniri non possit, hujus determinatio a iudice fieri debet, uti judicatum in causa *Christoph Fiedlusts, und der Herrschaft zu Cunnewitz*, d. 13. Febr. 1706. In aliquibus locis etiam introductum est jus detractationis, vulgo *Abzugs-Geld*, de quo vid. *Berlich. P. 3. concl. 52.*

## II.

Possit hæc solutio juxta stylum Romanum etiam dici *Brevis solutionis hujus cum Roman. manumissione collatio.* Manumissio, utpote quam definit Ulpianus *l. 4. ff. de J. & J.* quod sit de manu missio, id est, datio libertatis; nam quamdiu quis in servitute est, manui & potestati domini est suppositus; mittebantur autem e manu ad indicandum, eos potestate domini solutos esse; manus enim *l. 2. §. 1. ff. de O. J.* pro potestate habetur: possent quoque jam varia manumissionis species recenseri; sed nolumus hic diutius morari, remittimus potius curiosum lectorem, quoad hanc materiam, ad elegantissimum Porgiesseri tractatum *de condit. & stat. serv.* ubi in *lib. 3.* manumissionis species sat prolixè recensitas reperiet. Revertimur jam ad literas dimissoriales, ubi videndum erit, quisnam præter verum dominum, cui de jure competit, *Mev. vom Zustand der Bauern, qu. 3. n. 4.* illas literas concedere possit? Et respond. Nullus facultatem hanc habet, quam cui

vel lex, vel ipse dominus istam expresse concessit; hæc dimissio enim pars & nota domini est, *l. 12. C. de fund. patrim.* Cothmann. *Vol. I. resp. 38. n. 60.*

## III.

*Quibus præter dominos liceat glebe adscriptas dimittere.*

Conceditur autem quandoque hæc facultas pignorum detentoribus, ut & conductoribus in contractu, quem inter se ineunt, & tunc quoque literas dimissoriales subditis legitimo modo petentibus dare possunt, modo hæc dimissio ab ipsis fiat bona fide & absque dolo, nec forsan per malam administrationem vel prodigalitatem, *Ord. Subd. Art. IV. in pr.* Deinde hanc potestatem habet maritus in bonis dotalibus, quamvis alias juxta *l. 5. ff. de fund. dot.* fundum dotalem alienare non possit: quoniam marito in hisce bonis ususfructus competit, *l. 7. pr. ff. de jur. dot.* imo in jure maritus pro domino dotis habetur, *pr. f. quib. alien. lic. l. 23. C. de jur. dot. l. 13. ff. de fund. dot.* ideo subditorum dimissio, maxime si ex justis causis fiat, ipsi non est interdicta; modo non vergat in manifestum bonorum uxoris detrimentum. Porro quoque debitores in concursu creditorum subditos quosdam dimittere possunt, si creditorum adhibeatur consensus, secus si non; sicut enim dimissio nulla est, uti responsum d. 23. April. 1712. an die Herrschafft zu Klein-Dechsa:

Wegen der andern losgelassenen Unterthanen aber, welche die losß Brieffe und Präsumtion, daß sie solche eher, als ihr das Guth Klein-Dechsa, erhalten, vor sich haben, hat die intendirte Citation in euerm Gerichte noch zur Zeit nicht statt. Wären aber indicia zugegen, daß ein oder der andere gleichmäßig den losß-Brieff pendente concursu & subhastatione von dem von Noßtig erhalten; So möget ihr selben durch Hülffe der Herrschafft, wo er sich befindet, zu Beschwörung der Zeit, wenn er den losß-Brieff wahrhafftig erhalten, wohl anhalten lassen, und denn, wenn die losßlassung sich ungebüßelt befindet, die Remission des Unterthanen an eure Gerichte mit Bestande Rechtens fordern.

## IV.

## IV.

Tutores econtrario & Curatores subditos pupillorum dimittere non possunt, *ib. §. de Vormündern* ic. nisi insignis inde utilitas pupillo accrescere possit; nec dubium est, quin pari modo, ut alias in alienandis bonis pupillorum immobilibus, & mobilibus, quæ servando servari possunt, causæ cognitio a iudice competente, l. f. C. de præd. minor. & ejusdem decretum sit interponendum, Stryk. in C. C. Sect. I. c. 3. §. 19. Menoch. l. c. Arb. jud. qu. 171. n. 24. Zoef. ad tit. ff. de reb. eor. qui sub tut. Multo minus debitores in præjudicium illorum, quibus subditi nonnulli expresse oppignorati sunt, per literas dimissoriales eos a subjectionis jugo liberare possunt. Quibus non liceat.

## V.

Nec etiam dominus, qui subditos certos cum aliis communeshabet, sine consensu ceterorum unum aut alterum dimittere potest, ne jus quæsitum alteri auferatur; nam & hic, quia paritas rationis subest, potior est causa prohibentis, *l. 28. in pr. ff. comm. divid. Mev. qu. 3. n. 30.* Item uxor, quæ prædium aliquod in dotalitium accepit, glebæ adscriptos liberare non valet; habet enim tantum usumfructum in illo prædio, qui vero ad alienandum non sufficit, *arg. l. 7. §. 2. ff. de usufr. Quid?* quod nec magistratus etiam aliorum dominorum subditos, neque ob debita contracta, neque loco tutorum in bonis pupillorum dimittere debet, uti idem prohibet *Ordin. Subd. Art. IV.* imo nec ipse Imperator, *l. fin. ff. de natal. restit.* Ampliatio.

## VI.

Videamus nunc, quomodo porro glebæ adscripti ab onere suo liberari possint, cum enim semper prioniores ad liberandum, quam ad obligandum esse debeamus, *l. 47. ff. de O. certis ob & A.* sequitur, quod si subditus, cui Dominus sufficientia vitæ subsidia suppeditare non possit, ultro prædium suum tradit, si subditus ultro prædium certis ob causas offerat.

dominus illi literas dimissoriales denegare non possit, *Art. IV. d. Ord. n. 2. v. g.* si ob sterilitatem necessaria alimenta ibi habere nequeat: ut puta si fundus sit aut arenosus, aut saxosus, & ita contumax, ut nulla cultura, quantumvis diligenti, fructuosus esse queat, Manzius *in dec. Palat. qu. 18. n. 41.* aliud tamen vitæ genus eligere aut agriculturam curare debet. Num vero dominus subditum quendam dimittere teneatur, si is alium laboriosum hominem in suum locum surroget, nondum expediti juris est: Et in Lusatia nostra inprimis multis controversiis hoc ansam præbere constat; juxta æquitatem naturalem quæstio facili negotio decidi potest, dum, quod nobis non obest, & alteri prodest, nolle admittere malignum habetur, *Mev. l. c. qu. 3. n. 25.* Interim hic notandum, quodsi semel glebæ adscriptus dimissus sit, & in ejus locum substitutus postea aufugiat, dominus priorem revocare non possit, propter expressum textum *l. 1. C. de servo. Reip. manumitt.*

## VII.

3.) si propter  
delicta & c.  
e fundis eji-  
ciantur.

Præterea subditi liberantur, si propter delicta, aut alias prægnantes rationes, v. g. quod debita servitia recusent, & in ejusmodi contumacia & resistentia persistant, *Berlich. Dec. 65. n. 1. Carpz. P. 2. C. 51. d. 16. arg. l. 8. C. quomodo & quando judex. e fundis ejciantur, Const. El. Sax. 8. P. 2. Berlich. P. 2. concl. 9. n. 20.* Nec domino liberum est, illos nolentes postmodum revocare, quia semel remittentibus jura sua non est dandus regressus, *l. 14. §. 9. ff. de edilit. edict. & l. 20. §. 1. ff. de minor.* Ejus liberi vero, nisi delicti paterni participes reperiantur, in fundo paterno manent, *d. Art. IV. n. 3.* A nexu subjectionis quoque solvuntur mulieres, & liberi post maritorum & patrum obitum, si ex ea causa, quia servitia debita vel propter senectutem, vel propter teneram nimis ætatem præstare non possunt, a fundis discedant, & alibi necessaria vitæ subsidia quærant, quod valde approbat *Mev. l. c. qu. 3.*

§. 50.



§. 50. nec hoc casu liberi a priori domino vindicari possunt, inprimis si, prædiis derelictis, alii jam sint substituti, qui solitas operas præstant.

## VIII.

Justissimam omnium se liberandi a subjectione causam dominorum sævitiam præbere, plerique Doctõrum fatentur, <sup>4) si nimis</sup> Husan. c. 8. n. 22. Mev. l. c. qu. 3. n. 59. sq. Gail. lib. 1. obs. 17. <sup>saber a</sup> <sup>dominis</sup> <sup>tractentur.</sup> arg. l. 1. C. de emend. serv. l. fin. C. quem civ. mun. jud. lib. 10. quibus etiam adstipulatur alleg. Ordin. Art. IV. n. 5. Exerit autem se hæc dominorum sævitia potissimum duobus modis: vel nimis dura & aspera tractatione, l. 2. ff. de his qui sunt sui vel. alieni jur. scil. per intolerabiles pœnas & inconsuetos ab humana natura prorsus abhorrentes carceres; vel per insolita & contra omnem æquitatem imposita servitia, ita, ut rebus sic se habentibus etiam maxime necessaria vitæ subsidia sibi parere non valeant; hoc igitur jugum si a collis suis excutere volunt, necesse est, ut magistratus superior hac de re cognoscat, utpote qui, pro ratione circumstantiarum & securitate, de sævitia conquerentis providebit necessitati, Mev. qu. 3. §. 92. Mascard. de Prob. concl. 1301. Nic. Boer. P. I. dec. 132. Vern. Vafqu. lib. 1. illustr. controv. c. 8. n. 17. sq. Servitiis enim dominus civiliter uti debet, l. 24. §. 29. ff. de S. P. R. l. 60. §. ult. ff. mandar. Ant. de Amato dec. 130. n. 7. 8.

## IX.

Liberari etiam possunt glebæ adscripti, si ad promovendam suam domesticam salutem alio se conferre satagant, ideoque fundos suos prius cum consensu dominorum vendant vel permulent, ac literas dimissorias hanc ob causam consequantur; Inprimis autem dominus, si subditi se meliorare possunt, ipsis impedimento esse non debet, propter æquitatem Christianam, ut recte monet Art. IV. n. 6. d. Ordin. In- <sup>5) si condi-</sup> <sup>tionem</sup> <sup>suum me-</sup> <sup>liorari pos-</sup> <sup>sint.</sup> justis-

justissimum enim esset cogere subditos, ut in suo territorio ejusmodi fundos colant, qui ipsis nec ad necessaria vitæ alimenta, nec ad servitia & alia onera, quæ superiori sunt præstanda, sufficerent. Aliter se res habet, si dominus certissime sit persuasus, ipsos non ad meliorandam suam conditionem per operas suas tam in urbibus quam pagis aliis locandas, sed ad otium promovendum, dimissionem petere, ubi optimo jure hanc ipsis denegare potest dominus. Nam & jur. civ. colonis sponte ex prædio abscedere non licet, aut illud deserere, quod semel colendum susceperunt, Perez. *ad tit. C. de Agric. & Censit. n. 7.*

6) si studiis,  
militiæ mer-  
caturæ vel  
opificiis se  
mancipent.

Denique solvitur subditus juxta *n. 7. Art. IV. d. Ordin. si* studiis se dedat, vel mercaturam, vel opificia exerceat, aut etiam militari munere fungatur. Inconveniens enim esse videtur, ejusmodi dignitatibus splendere, & simul tam fordidis rusticorum operis manum adhibere, *l. 34. ff. de oper. libert. & l. fin. C. de agric. & cens.* quamvis jure civili ab hac conditione nec privilegio, dignitate aut officio liberentur, *l. 11. C. de agric.* Distinguendum autem hic est cum *Ordin. l. c.* numsciente domino, an ipso incio, quis supra dicto vitæ generi se applicuerit; Priori casu dominus consentire videtur, ideoque repetendi facultatem silentii sui conniventia perdit, *l. 7. §. 1. de Murileg.* patientia enim ista habet in se renunciationem, *Mev. P. 2. Dec. 234. n. 3.* & ita subditus, si dominus ipsum revocare velit, exceptione concessæ tam diu libertatis uti potest, *Stamm. de serv. pers. l. 3. c. 27. n. 12.* Posteriori casu autem subditus domino propter damnum ex ipsius absentia ortum satisfacere tenetur. Quod etiam quis a subjectione liberetur per matrimonium, *vid. Ordin. Art. IV. n. 8.* dictum in capite præcedenti, hinc plura addere supervacaneum esset.

## XI.

Quæritur adhuc, num, si pater dimissionem accipiat, liberi simul censeantur dimissi? Et respondetur: qui adhuc in potestate patris sunt constituti, illi omnino censentur dimissi, quia libertatis acquisitio est favorabile quid, quod ampliandum est, non vero restringendum; non autem illi, qui sunt emancipati, & propriam instituerunt œconomiam, *Ord. cit. Art. IV. §. und wenn dergestalt ic. horum enim alia profus est conditio, nec unquam, nisi specialiter in literis dimissorialibus comprehensi sint, simul dimissi censentur.* Hodie literis dimissorialibus plerumque inseruntur verba: *Als will ich N. N. als Herrschafft zu N. meinen bisherigen Unterthanen N. N. nebst seinem Weibe, und in väterlicher Gewalt habende Kinder, der Unterthänigkeit, womit sie mir bishero verwandt gewesen, erlassen, und sie Krafft dieses davon losgezehlet haben.*

*An patre dimisso liberi simul censentur dimissi.*

## XII.

Cautum præterea est in *d. Ordin. Art. V. n. 5.* ne literæ dimissoriales ultra anni spatium a tempore concessionis ad producendos justos effectus valere debeant, sed quod quilibet dominus, si post annum inveniatur, solum subditum nullam fixam sibi elegisse sedem, sed otio tantum indulgere, ipsum repetere possit. Hinc hodie ejusmodi subditi dimissionem petentes indicare tenentur, quo in loco pedem figere, aut cui domino operas suas locare velint, quo facto postmodum literæ dimissoriales ad illum diriguntur, quem subditus indicavit. Alias etiam sapissime literis annectitur: *Jedoch soll er, vermöge der Unterthanen-Ordnung, sich binnen Jahres-Zeitt anderswo sesshaft zu machen schuldig seyn.* Quæritur autem, si subditus, impetratis literis dimissorialibus, in urbe aliqua jus civitatis quidem consecutus est, sed non-

*Literæ dimissoriales non ultra annum valent.*

E

dum

dum ibi bona immobilia sibi comparavit, nec sedem fixam elegit, an a domino post annum revocari possit? Et resp. quod non; uti pronunciatum in summo Tribun. Budiss. in causa N. C. von Uchrisz contra die Gebrüder von Dobschitz auf Margglissa, d. 9. Sept. 1698.

*Daß gestaltten Sachen nach Klägers Suchen nicht statt habe.*

## C A P. IV. De Actionibus.

### I.

*Advocati  
non debent  
subdites  
adversus  
dominos  
suos concu-  
sare.*

**H**Atenus de illis, qui modo legitimo, & domino consentiente, libertatem adipiscuntur; nunc etiam de his, qui illegitimo modo, & invito domino, se liberare cupiunt, id est, de fugitivis, quomodo contra illos procedendum, & quales actiones alias tam domino quam subdito competant, agendum erit. Quoniam autem non minus olim, uti Ordin. nostra *Art. V.* queritur, quam nunc etiam sapissime subditi per fugam libertati suæ prospicere intendunt, ante omnia monendum necesse putamus, ut tam Advocatus, qui a subditis forsan ad sopiendas quasdam lites imploratur, quam alii sibi caveant, ne hujusmodi hominibus glebæ adscriptis ullam aut verbis seditiosis, aut ipso facto, ad fugam & seditionem suppeditent occasionem, nisi ipsi graves incurrere velint pœnas. Quapropter etiam in juramento, quod Advocati in summo Tribun. Budiss. ante immatriculationem præstare tenentur, expressis continetur verbis: *Daß ein Advocatus die Unterthanen nicht verhezen noch aufwiegeln, auch nicht ihnen in offenbare unbillichen Sachen assistiren, sondern wenn er ein Dubium bey der Sache, ob er nemlich salva conscientia dienen könne, es an die Kemter berichten, und Weisung erwarten soll.*

### II.

## II.

Pœnæ autem, quæ illis, qui occasionem ad fugam aut seditionem præbent, dictantur, pro ratione delicti variant. Sic enim M. Jul. 1707. **Christoph Kleiling** propter verba quædam seditiosa in pœnam carceris per 14. dies, vel 2. **Mso.** & **Hans Hartmann** per 3. septimanas, vel 3. **Mso.** condemnati sunt, quæ pœna adversus subditos quosdam Lindav. M. Octobr. 1711. in responso Scabin. Lips. ad incarcerationem per 6. septimanas vel 6. **Mso.** si sc. factum aliquod seditiosum accesserit, extensa est. Imo qui subditos revera contra dominos concitant, juramento se purgare, & si hoc præstare recusant, pœnam carceris publici, **den Bau**, subire tenentur, uti pronunciatum in summo Tribun. Budiss. quæ sententia postea per Rescriptum sub 7. Sept. 1710. approbata est.

*Pœna illorum, qui subditos concitant.*

## III.

Hinc quæritur: an Advocato, qui subditis patrocinium præstare debet, illos ex jurisdictione domini sui conyocare liceat, quo de controversiis, in quibus ipsis advocando assistere debet, informationem percipere possit? Et resp. negando, uti decretum in summo Tribun. die 9. Novembr. 1702. in causa subditorum Monasterii Mariævallens. in qua sententia Advocato simul injunctum, ut certos Syndicos constitui curet, & per illos se de lite informet.

*Quomodo advocatus in patrocinando subditis porro se gerere debeat.*

## IV.

His præmissis ad ea, quæ circa ipsam revocationem subditorum observanda, progredimur. Quemadmodum autem illi, de quibus actio movetur, non æqualiter sese habent; ita etiam judicium vindicatorium non uno eodemque modo est instituendum; aliter enim agitur contra illos, qui in fuga sunt constituti, alia ratione contra eos, qui jam sedem fixam elegerunt, alio modo iterum adversus hos, qui latitant, & aliter prorsus contra eos, qui in possessione libertatis se fundant.

*Varii processus vindicatorii modi.*

## V.

*Quomodo  
contra illos,  
qui in ipsa  
fuga sunt  
constituti,*

Quod fugitivos attinet, Dominum illos, quamdiu in ipsa fuga sunt, persequi, & propria autoritate ab ipso comprehendendi posse, ubicunque invenerit illos, expediti juris est. Nec enim dubium alicui esse potest, inquit *Mev. vom Zustand der Bauern qu. 4. n. 3.* quin liceat fugientes colonos propria autoritate capere, quamdiu sunt in actu fugæ, ne ultra elabantur, *per l. un. C. de colon. Palest. Stamm. d. tr. c. 25. §. 2.* cum etiam debitorem fugientem ita sistere liceat, *l. 10. §. 16. ff. que in fraud. cred.* Bene tamen hic notandum, quod ejusmodi persecutio non aliter sit permessa, quam si periculum sit in mora, & quando copia judicis non datur; quoniam tantum est remedium extraordinarium, quod non adhiberi debet, si adsit ordinarium, *Mev. l. c. n. 9. Gail. l. 2. de pac. publ. c. 2. n. 9.*

## VI.

*Quomodo  
contra la-  
tentes,*

Quodsi autem non constet, ubi fugitivus ejusmodi lateat, decernuntur contra illum literæ patentes ad omnes ubique magistratus & iudices, ut repertus domino suo restitatur, & sine mora ad glebam, cui connexus est, reducatur, *Mev. P. VI. dec. 274.* Et tunc quilibet magistratus tenetur, ut operam det, quo dominis subditos suos requirendi potestas fiat, uti sunt verba *l. 2. C. de serv. fugit.* Sicuti etiam in tali casu utile est remedium, ut magistratus ordinarius per edictum publicum, vel etiam ex suggestu notum faciat, aliquem aufugisse, & omnes admoneat, ut, si quid de fugitivo alicui innotescat, hoc statim debito loco denunciaret, *Mev. d. tr. qu. 4. n. 24.*

## VII.

*Quomodo  
contra con-  
sumaces,*

Quid autem, si subditus, qui fundum suum malitiose deseruit, nullo remedio licito, & nulla coactione ad obedientiam possit reduci? Tunc juxta *Ordin. Subd. Art. V. n. 6.* debito modo

modo publice citandus est, & si se non sistat, sed in hac contumacia permaneat, in bannum est declarandus, & bona ejus confiscanda, uti responsum est Abbatissæ Monast. Mariævaldens. sub. 14. Jun. 1701.

Als gehet mein Gutachten und Wessung dahin, daß dieselbe/ wenn die abwesende Unterthanen, nach vorhergehender gebührender Edictal-Citation, nicht gehorsamlich erscheinen, und ihre Absentiam und bisheriges Aussenbleiben, wie zu Recht, genungsam purgiren und justificiren, mit Einziehung derselben Erbschafften oder andern Zustandes, nach Anweisung der Landes-Ordnung de An. 1597. art. 3. §. Im Fall aber ic. gar wohl verfahren Fan.

Quodsi autem requisita processus hujus non sint observata, sed absque prævia citatione bona fugitivi fuerint ablata, dominus illa restituere tenetur, uti judicatum in causa Christoph Pegolds, Kl. contra die Herrschaft zu Cunnewitz, Bekl. die 14. Febr. 1703.

Daß Bekl. vermittelst eines Inventarii oder eyndlichen Specification derer Siedlustischen Kinder zu sich genommenes Vermögen, samt dem Werth des verkaufften Gartens, denselben zu berechnen und auszuantworten schuldig.

## VIII.

Si vero rusticus fugitivus alterius dominio se subjecerit, dum vel tanquam liber homo ibi domicilium elegit, vel ut conductor ibi habitat, vel operas suas illi domino locavit, tunc vero domino, postquam hoc rescivit, non est liberum, ut subditum ejusmodi propria autoritate comprehendat, & sine permissu domini illius jurisdictionalis vi armata vel alio violento modo auferat, uti hoc expresse prohibet Ordin. nostra Artic. III. nec obstat l. 9. ff. de serv. export. respondetur enim, tum id pacto venditioni adjecto contigisse, vel isti domino datam fuisse a judice facultatem servum abducendi; Sed opus

*Quomodo  
contra sub-  
ditos in  
aliena ju-  
risdict. de-  
gentes pro-  
cedendum.*

est, ut ante omnia amicis verbis illum de restitutione imploret. Quæritur hic: si possessor glebæ addicti solvere velit pretium in Ordin. præd. determinatum, an sit audiendus? Et resp. negando, Brunnem. cent. 3. dec. 75. n. 5. cum nemo suum vendere teneatur, l. 11. C. de emt. vend. l. 16. C. de jur. delib. Quodsi vero restitutionem detrectet, tunc coram iudice ordinario instituere potest rei vindicationem, quippe quæ non tantum ad res immobiles & mobiles se extendit, sed etiam ad res animatas & se moventes, uti ex jure cognitum, vindicare posse civitates incolas, l. 37. ff. ad municip. dominum subditos, c. dilectus X. de appellat. Wefenb. ad tit. C. de jurisd. omn. judic. liberi homines quidem alias non veniunt in vindicationem, quia non sunt in dominio, l. 10. ff. de liber. causa. l. 13. ff. ad L. Aquil. sed hic vindicatio fit non respectu libertatis, sed subjectionis & servitorum, quæ debent. Et in rusticis hodiernis & hominibus propriis idem obtinere, tradit Husan. d. tr. c. 7. n. 70. quanquam enim liberi sint, l. pen. C. de agric. attamen, ut loquantur, sunt conditionati, & quoad corpus ac operas domino quodam jure tenentur, l. 7. C. de agric. l. 3. C. de infan. expos. Angel. in §. in testibus §. de testam. Sed an rusticus, qui vindicatur, in eadem causa testis esse possit, quæritur? Et respondetur affirmando, Cacheran. dec. 99. n. 19. quia incertum est, utrum commodo aut incommodo litis exitus rustico futurus sit, Mascard. de Probat. concl. 1357. n. 69. sq. Casar de Grassis dec. 78. n. 8. Farin. de test. qu. 5. in sp. 5. n. 250.

## IX.

Cui & contra quos hæc actio competat.

Competit hæc actio domino cuicumque, qui jus suum in subditum, vel legitimam possessionem probare potest. Et datur contra possessorem verum subditi alterius. Nam in nostra Ordin. l. c. expresse prohibitum, ne quisquam dominus



minus ejusmodi fugitivos, cujuscunque sint conditionis, sine literis dimissorialibus recipiat, neque ullam ipsis opem præstet, sed sine exceptione & contradictione statim restituat, cum omni causa, uxore & liberis; quid autem juris, si interea alienam mulierem uxorem duxerit, vid. *Mev. P. 2. dec. 231.* Rusticus tamen ea, quæ domino restituenti debet, refundere & solvere tenetur, *arg. l. 1. §. 1. ff. de constit. pec. Mev. P. 2. dec. 233. n. 1.* quamquam retentioni eapropter locus non sit; unius enim factum alteri damnosum esse non debet, *l. 25. §. 12. ff. fam. ercisc.* Competit quoque contra possessorem fictum, seu illum, qui dolo desiit possidere, nam & hic juxta Ordin. Subd. *Art. V. n. 2.* ad restituendum fugitivum tenetur. Si vero malitiose id detrectet & convictus sit, quod illum sine causa detineat, non solum fugitivum cum omnibus, quæ secum tulit, restituere, sed etiam illa, quæ interea neglexit, refarcire debet, adeo ut etiam ab illo tributa, quæ publicis perierunt functionibus, exigì possint, uti patet ex *l. 8. C. de agric.* vid. *Perez. ad. d. l. n. 11. sq.* nam qui sciens hominem proprium recipit, tenetur ad interesse; quia autem ignorantia vix aliter, quam per juramentum probari potest, *c. nulli in sin. de elect. in 6.* ideoque si præsumptiones contra eum militent, juramentum ipsi injungi potest, *Brunn. cent. 3. dec. 75.* Imo si in restituendo sit contumax, nec magistratus monitoriis debitam præstet obedientiam, tunc præter refusionem omnium expensarum litis, juxta Ordin. nostram *l. c.* pro ratione circumstantiarum pœna 10. 20. vel 30. thalerorum, cujus dimidia pars domino, altera fisco cedit, afficiendus est. Quod si vero ejusmodi fugitivus absque culpa possessoris denuo aufugiat, ad illius restitutionem vel pretium ejus loco solvendum cogi non potest, Ordin. Subd. *Art. V. n. 3.* *Mev. P. 2. dec. 275.* fuga enim casus fortuitus est, quem nemo regulariter præstare tenetur, *l. 23. ff. de R. J. l. 5. §. 2. ff. commod.*

X.

## X.

*Facilius hic  
Remedium  
est conditio  
ex l. 14. C.  
de Agric.*

Cum vero in rei vindicatione difficilis sit dominii probatio, fatentibus omnibus *in l. 12. C. de prob.* cum nemo mancipium & homo proprius præsumatur, sed potius a natura liber & ingenuus, ideoque facilius remedium contra subditos fugitivos jura suppeditant, sc. conditionem *ex l. 14. C. de agric. & cens.* quæ lex ita se habet: *Si coloni, quos bona fide quisque possedit, ad alios fuge vitio transeuntes necessitatem propria conditionis declinare tentaverint, bonæ fidei possessori primum oportet celeri reformatione succurri, & tunc causam originis & proprietatis agitari.* Ad quod remedium, cum sit recuperandæ possessionis, & tantum possessio probari debeat, ex consilio JCI in *l. 24. ff. de R. V.* confugere semper tutius. Nam in d. l. possessionis causam a proprietatis expressis verbis sejunxerunt, & illa decisa hanc demum agitari, illam vero (possessionis) levato velo decidi, & ut loquuntur, bonæ fidei possessori (actori) celeri reformatione succurri volunt. Vid. Menoch. *remed. recup. possess. 10.* Stryk. *de act. forens. invest. S. 2. membr. 2. §. 30.* Cum econtrario si actor dominium probare teneretur, summario & tam celeri processu lis in possessorio finire non posset; quia ad dominii probationem multa requiruntur, quæ & processum retardant, & ordinarium exigunt, Stamm. *d. tr. c. 27.*

## XI.

*Quando petitorium sit institutum.*

Hucusque vidimus, quid juris circa revocationem subditorum, quando sc. inter dominum & malæ fidei possessorem & detentorem lis est. Sed quid si dominus contra aliquem tanquam suum hominem proprium & subditum agit, & eum sibi adjudicari petit? Tunc judicio petitorio est agendum, & actio præjudicialis utilis instituenda, §. 13. *J. de act. l. 37. pr. ff. de O. & A. l. f. in f. ff. si ingenuus esse dicatur.* Kremberg. *ad §.*

13. §.

13. 7. de act. n. 17. sq. & quidem coram illo iudice, sub quo persona quaestionis commoratur, quoniam actor sequitur forum rei, vid. Stamm. in d. tr. l. 3. c. 29. 31. 32. nisi glebæ addictus a nemine possideatur, seque liberum esse proclamet, tunc enim intentanda est actio præjudicialis coram iudice loci, unde fugit, Perez. ad tit. C. de agric. & cens. n. 13. Quid circa probationem observandum sit, idem Stamm. l. c. prolixius deduxit, conf. etiam Husan. d. tr. c. 5. n. 1. sq.

## XII.

Quandoque etiam dominum inter & subditos lis oritur propter collectas, quas ipse illis imponit; ubi sapius contingit, ut subditi ad illas præstandas ex metu & obedientia subjectionis se accommodent. Quodsi deinde subditi illas amplius solvere detrectent, & jure communi se tueantur, dominus contra illos acturus non possessorio momentaneo agere debet, sed legitimam possessionem allegare necesse habet; Ita enim judicatum in causa der Unterthanen zu Cunnewig und Gottfried Wiedemann, M. Jun. 1705.

Quæ  
actio in de-  
negatione  
collecta-  
rum obli-  
tas.

Und ist zwar Vell. bey dem ersten Punkt, die Subrepartition und Eintheilung bey denen Einquartierungen nach denen Rauchfängen zu machen wohl befugt, jedoch hat er von seinem Vorwerke, und dem Martin Scholtsischen Guthe sein Contingent nach der Höhe darvon auf haffenden Rauchfänge, und so viel nicht von denen darvon ausgesetzten Gärtnern und Hausleuten beygetragen wird, der Gemeinde zu Cunnewig Ordonnanz- mäßig beyzutragen, er könnte denn, daß er dißfalls in richtiger Possels vel quasi (wodurch das Possessorium ordinarium verstanden wird) der Exemption, was das Vorwerk anlanget, constituiret sey, wie recht, darthun und erwessen zc.

Quam ob causam cum reus probationem in se suscepisset, & actor interrogatoria tradidisset nihilominus die 24. Sept. 1705. hoc modo pronunciatum est:

F

Das

Daß Vekl. und Producent dasjenige, was ihm zu erweisen aufer  
 leget, und er sich angemasset, nicht erwiesen, daher es bey dem  
 am 20. Junii dieses Jahrs publicirten Bescheide dißfalls schlechter  
 dings verbleibet.

Eodem modo judicatum in causa der Gemeinde zu Dobra  
 und Staffe, Kl. und dasiger Herrschaft, Vekl. M.  
 Mart. 1715.

Es könten und wolten Vekl. denn binnen Sächsischer Justiz die  
 angezogene possessionem legitimam, wie recht, erweisen.

## XIII.

*Actiones  
 subditis  
 contra do-  
 minos com-  
 petentes.*

Ceteras actiones dominis contra subditos competentes  
 jam silentio praterimus, cum pro ratione negotii facile sint  
 investigandæ, vid. Hammel. *ad tit. 7. de Act. c. 43. n. 7. sq.*  
 Rittersh. *ad §. prejudiciales. 7. de Action. breviter illas adhuc*  
*perlufraturi, quæ competunt subditis contra dominos.*  
 Quando itaque dominus oblitus sui officii, reditus & census  
 a multo tempore dari solitos auget, subditos suos, quos be-  
 nigne tractare & illæos servare debebat, *Nov. 159. in pras. l.*  
*34. vers. sed nos. C. de inoff. testam. violenter & non aliter ac*  
*bestias tractat, insolitis & novis servitiorum generibus ita*  
*vexat, ut se suosque alendi facultatem non habeant, tunc ho-*  
*mines isti apud superiorem querelas movere & petere pos-*  
*sunt, ut antiquam consuetudinem dominus iisdem servet*  
*nec vim inferat, i. 1. C. in quib. caus. colon. cens. accus. item,*  
*si indebitorum & infuetorum servitiorum nomine quid ex-*  
*ortum, ut illud restituat, & ab hac & similibus violentis ex-*  
*actionibus inposterum desistat, ejusque rei nomine caveat,*  
*per l. 5. C. de his qui ad Eccles. confug. l. ult. §. 2. C. de Agric. &*  
*cens. l. 6. §. 2. ff. de offic. pras. vid. Stamm. lib. 3. c. 34.*

## XIV.

*Pena do-  
 minis ni-*

Et hinc quoque fit, ut probata sævitia, quæ tamen talis  
 sit,

fit, ut vita periculum, vel aliud irreparabile damnum con-  
currat, *Mev. l. c. qu. 3. n. 76.* dominus quandoque sua jurisdic-  
tione privetur, & subditus a sua subjectione liberetur, *arg.*  
*l. un. C. de emend. serv. l. ult. C. quem civ. muner. lib. 10. l. 2. ff.*  
*de his qui sunt sui vel alien. jur. Carpz. lib. 1. resp. 53. n. 11.*  
*Gail. de pace publ. lib. 1. c. 2. n. 22. idem lib. 1. obs. 17.* Anton.  
de Petra *de potest. Princip. c. 8. n. 74.* Cum autem in tali casu  
pro domino firmissima stet praesumptio, quod recte & rite of-  
ficio suo fungatur, *l. 2. C. de offic. civ. jud.* privatio locum in-  
venire non potest, nisi 1.) monitio praecesserit, 2.) poena pri-  
vativae comminatio facta sit, & 3.) contumacia rei nolentis  
parere adsit, *Mev. l. c. n. 90.* Quomodo autem mandatis pae-  
nalibus domini favita in subditos coerceri possit, vid. *Gail.*  
*lib. 1. obs. 17.* Ceterum si ex supplicationis subditorum argu-  
mento constat, factum domini esse injustum, & sua natura  
prohibitum, ipsi restitutio damni, quod perpeffus est, & cau-  
tio de non amplius violentiam & novationem inferendo  
injungitur, *Carpz. lib. 1. resp. 53. n. 15. sq.* vid. quoque *Petr.*  
*Frid. Mindan. de mandat. lib. 2. cap. 34. n. 1. sq.* *Gail. lib. 1.*  
*obs. 4. n. 2. sq.* *Mev. P. 2. dec. 80.* nulla autem licentia subditis  
fundum, ubi commorantur, relinquendi conceditur, ex praes-  
cripto *l. 23. §. 1. de agric. & cens.* Superior tamen etiam non  
imploratus, & si subditi de insolitis & iniquis servitiis non  
conquerantur, neque per se, neque per alium, ex officio pro-  
videre debet subditis, ne indebite & plus aequo vexentur,  
*Mynf. cent. 5. obs. 8. n. 13.* *Gail. lib. 1. obs. 17. n. 7.* *Sixtin. de*  
*regal. lib. 2. c. 13. n. 55.* *Paris de Put. de Syndic. pag. 37. n. 2.*

## XV.

Multa adhuc addenda fuissent, non solum quoad actio-  
nes, sed etiam quoad totam hanc materiam; verum cum in-  
stituti ratio fuerit, circa enucleationem Ordinat. Subdit. tan-  
tum

tum versandi, ac materia per se tam diffusa sit, ut tractatus aliquot alphabetorum de illa scribi haud difficulter queat; intra cancellos dissertationis manere allubuit, ne per nimiam prolixitatem Tua, L. B. in perlegendo fatigetur patientia. Excusabis interim, si non omnia Tuæ respondeant expectationi, sique erraverim, pro humanitate Tua meliora me edocebis. DEO autem T. O. M. qui huic labori dedit hoc incrementum, Laus & Gloria in perpetuum maneat.



31. de Spurio, H. S. Lothmädler.
32. Objectiones Practicas circa materiam probato-  
ris, Pt. J. B. Werner. & H. J. Otho.
33. de hominibus plebe adscriptis Latine Superio-  
ris, Pt. J. C. Schaefer. & J. G. Diemeyer.
34. de Jure Principis Evangelici contra Juror-  
na, Pt. H. Bohmer, & J. F. Kaiser.
35. J. M. Lamy Grindeliner Beweis, daß die Divortia oder  
Ehescheidungen, jure nature verboten seyn, in  
Deutschland, Pflanzern.
36. J. F. Kaiser gegen Beweis v. J. Langen

00 A 6360

ULB Halle  
002 928 485



3

56.

1017




Rehe<sup>o</sup> VSD/17











st. 33.  
DA DOMINE INCREMENTVM!  
DISSERTATIO JURIDICA

De  
**HOMINIBVS**  
**GLEBÆ ADSCRIPTIS**  
LVSATIÆ SVPERIORIS,

Quam  
*Magnifici ꝑctorum Ordinis Indultu,*  
PRÆSIDE  
DN. D. JO. CHRISTOPHORO  
SCHACHERO,  
*ꝑcto Celeberrimo,*

Professore Codicis Publico, Supremæ Cu-  
riæ Provincialis & Facultatis Juridicæ Assessore, Aca-  
demiæ Decemviro, nec non Capituli Martisbur-  
gensis Canonico,  
PATRONO AC PRÆCEPTORE  
OMNI OBSERVANTIA SANCTE COLENDO,

*Placidæ Eruditorum perquisitioni submittit*  
A. & R.

JO. GODOFREDVS Steudner,  
Budissa-Lufatus.

d. 10. Maji, Anno 1715.  
H. L. Q. C.

LIPSIÆ,  
Literis JO. HEINRICI RICHTERI.